

† R. P. Oliverus Vassall-Phillips (1857-1932)

(Prov Angl.)

In historia catholicae in Anglia Ecclesiae cum clarissimo Cardinali Newman « ver secundum » (*Second Spring*) illud tempus vocatur, quo superiore

saeculo multi viri illustres, ab haeresi ad unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam reversi, huic Ecclesiae Romanae novum splendorem novumque vigorem juvenilem in Anglia dederunt. Horum virorum non pauci, id quod nostra hic magis interest, minimum nostrum Institutum amplexati sunt, et cum ingenio eminent atque patriam et verbo et scriptis editis miro fructu evangelizarent, Congregationi Redemptoristarum existimationem amoremque civium vehementer conciliarunt. Notissima sunt nomina Coffin, Bridgett, Furniss, Livius. Est autem huius catena fulgentis ultimus veluti anulus R. P. Vassall-Phillips.



Oliver Rodie Vassall (matris nomen a. 1901 addidit) natalem diem habuit 3 Martii 1857. Duodecim annorum puer in antiquum ac celebratum collegium Eton venit, ubi praeiudicia anticatholica, quibus tota educatio imbuta erat, in eius animo potius contrarium effectum habuerunt. Novi dein gressus ad veram fidem assequendam fuere iter Italicum, quod suscepit, cum circiter annum XVII attigisset, atque libri Cardinalis Newman, in collegii bibliotheca reperti, ut *Apologia et Development of Doctrine*. Transitu ad Oxoniense (*Oxford*) collegium Balliol facta, religione impediatur, quominus symbolum Anglicanum profiteretur, neque tamen iam catholicus erat. Paulatim intelligebat Christum esse omnia et a Christo aliquam Ecclesiam esse conditam, neque ad unam nationem restrictam, ut Anglicanam, sed universalem atque unius fidei vinculo unitam. Ita Romana Ecclesia in B. Petro Apostolo fundata semper magis eum alliciebat. Restabant nonnullae difficultates indolis potius historicae. Tandem, post multas orationes et internas luctas, die 18 Martii 1878 publice fidem catholicam professus est, annos natus 21.

Conversionem sequebantur dies felicissimi in convictu et amicitia iuvenum cultorum transacti, a quibus propter singulares dotes sodalicii *Oxford Debating Society* (quod erat futurorum politicorum quoddam seminarium) secretarius electus est. Verum a rerum publicarum scientia Oliverum Vassall avertit secessus sacer, quem brevi post conversionem in domo novitiatus Societatis Iesu peregit; tunc enim cognovit se ad sacerdotium et Sanctorum scientiam in religione profitendam a Deo vocari. Primo anceps haerebat, quodnam e variis Institutis religiosis sibi eligendum esset. Societas Iesu quidem ei multum arridebat; at timens, ne per multos annos iuventuti instituendae destinaretur, maluit esse S. Alfonsi filius. Festo S. Ioseph a. 1880 sacra veste Ligoriana indutus est, anno exacto vota nuncupavit, festo S. Michaelis a. 1884 ordinationem sacerdotalem recepit. Absolutis studiis — mirum sane — cathedram scholarem ascendere iussus est, id quod semper metuerat.

Atvero, per biennium lectoratu S. Scripturae gesto, reliquos vitae annos 45, prout exoptaverat, reducendis ad veram fidem civibus suis et convertendis peccatoribus dicare potuit. Contionabatur modo in sacris templis modo in aliqua aula, modo sub divo; nunc praedicabat ad populum Alfonsianam missionem, nunc ad coetum selectum spiritualia exercitia, nunc ad acatholicos seriem conferentiarum apologeticarum, diem se perdidisse existimans, si quando de rebus fidei sermocinatus non esset. Ita per universam Britanniam Magnam et Hiberniam nomen Patris Vassall-Phillips factum est admodum popolare. Certe ibi nullus sacerdos plures, quam ipse, protestantes convertit. Aestimant eum fere duo milia haereticorum ad sinum Ecclesiae recepisse. Cotidianus eius cibus et potus, si ita loqui fas est, erat conversio Angliae.

Nunquam se dabat otio, hac in re heroici Patris legiferi sectator fidelissimus. Nil difficultatis Constitutionum praescriptiones ei creabant inculcantes continuum litterarum studium atque omnem aetatem inter libros transmittendam esse (nn. 7 et 45). Prodigioso apostolatu exteriore minime retinebatur, quin sacrae scientiae patrimonium in mente semper augetet. Imprimis eum alliciebant antiquae Ecclesiae Patres, ut Sancti Cyprianus, Optatus, Vincentius Lerinensis, et perpauca inventi sunt hac in re similes illi.

Neque P. Vassall-Phillips solum multa legit, sed scripsit quoque multa, et bene scripsit, etiam hac ratione bonum odorem Christi spargens. Eius praecipua opera sunt: *The Mustard Tree — Catholic Christianity — The Mother of Christ — The Seven Books of St. Optatus against the Donatists — St. Cyprian on the Unity of the Catholic Church — After Fifty Years* (editum a. 1928, elapsis 50 annis a conversione). His adde vitas S. Gerardi et S. Clementis aliaque opera et opuscula. Rectoris Maioris fiducia P. Vassall-Phillips nominatus est per vices Rector collegiorum Limerick, Bishop Eton, Bishop's Stortford, Kingswood.

Valetudine robusta numquam fruitus est, immo medicis testibus praecipue eius vitam sustentabat singularis voluntatis vigor. Tempore magni belli ipse, licet aetate proventus, se obtulit ad sacerdotale munus inter milites exercendum, et in Gallia atque in Aegypto sic laboravit, at sine sperato valetudinis emolumento. Nihilominus postea laborem sine inter-



Ecclesia nostra oppidi Bishop's Stortford (*Herts*),
a R. P. Vassall-Phillips exstructa, a. 1907 consecrata, postea venuste decorata.

missione continuabat, et in mediis laboribus, prout semper optaverat, mortuus est. Ut infirmae valetudini consuleret, in Africam meridionalem missus, zelo suo ardenti inducebatur, ut ibi quoque missiones sacrosque secessus praedicaret, interim etiam famam late consecutus repulsis insultationibus poetae famosi G. B. Shaw. Verno tempore anni 1932 in patriam rediens, in alto mari post brevem morbum obiit die 8 Maii, antea munitus ultimis sacramentis per quemdam Episcopum, itineris maritimi socium.

Quae in P. Vassall-Phillips mortalia erant, ad domum nostram Bishop's Stortford, archidioecesis Westmonasteriensis, apportata sunt, eius residentiam praedilectam. Id autem maxime decebat, quandoquidem pulchra ecclesia Sancti Ioseph et SS. Angliae Martyrum sacra atque adiacens domus fere totae Patris Vassall-Phillips bonis patrimonialibus exstructae sunt, huius magnanimi apostoli monumentum perenne. — R. I. P.